



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1655

§. 152. Tunc dicit illi Pilatus: Non audis quanta adversum te dicunt
testimonia? v. 13.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

peccata nostra olim admitta vel etiam recens commissa, ut sic prudenter displiciamus, quomodo nos defendamus, nam impetus semper malus est consiliarius, disputando quidem poterat Christus arguere eos & mendacij convincere, sed maluit tacendo pati & parcere honori inimicorum & in se potius suscipere confusionem, quam aliis inferre ne inde gravius incendi-um excitaret, atque ita peccata, ex quibus Deus magis offensus fuisset evita-ret. O si sic in omni actione & operibus caveremus ne essemus causa peccati, sed virtutis & cum aliquam rem penitus corrigere non possumus, saltem non vitia remus.

Hanc doce me, obsecro Domine Deus meus sapientiam, ut sciam pati prudenter omnia ad tui gloriam meamque salutem, donec tempus iustæ & prudentis defensionis adveniat & illucescat.

§. 152. *Tunc dicit illi Pilatus: Non audis quanta adversum te dicunt testimonia? v. 13.*

Cum immites & impii Iudæi terribilibus in Christum oculis torvo-que aspectu intenderent, stidentes dentibus suis, & eum continuo accu-santes apud Pilatum præsidem implicite conclamarent sententiam mor-tis: & ipse amabilis ac pius Dominus staret illic humili verecundia, depres-sis oculis, vinctis manibus, paratus ut agnus paschalis ad immolationem & calicem patris sui super se effundendum; Pilatus tanta humilitate & pacien-tia vel ad benignitatem vel ad indignationem motus Christum alloquitur dicens: *Non audis quanta adversum te dicunt testimonia?* quibus verbis vel inve-hitur Pilatus in Christum, quod ita taceat & nil respondeat, vel gravius au-dire suspicatur, vel frivola testimonia Iudæorum iridet, & ex amore iusti-tiæ ut audita altera parte Christi defensione & publice contestata veritate rei, posset satisfacere formæ iudicii, scilicet accusatione simul & defensione auditis, sententiam ferre, quam silentio partis accusatæ stante non posset pro Christo dare etsi sciret quod ex invidia tradidissent eum, & testimonia eorum non essent convenientia, ideoque urgebat Christum ut se quovis modo defenderet, vel sola inficiatione, ut per eam inveniret occasionem dimittendi eum: sed qui reliquerat omnem felicitatem cæli & venerat in hanc vallem miseriarum pati omnem dolorem, etiam ignominiosissi-mam mortem crucis, noluit respondere, ne ex passionibus Iudæorum daret occasionem plura accumulandi mendacia, sed permittit ut eas servent illæ-fas, & sub eis ipse operetur mundi redemptionem.

O Amor erga genus humanum, quis poterit te digne comprehendere, aut in minimo respondere tibi! Certe mirabilis es Domine in omni-bus

bus sed in patientia, in mansuetudine, benignitate, largitate & amore, erga nos miseros peccatores, ultra omnem rationem mirabilis in silentio, ad cui defensionem, capere non possum magnitudinem Mysterii huius, taces apud Pontificē Iudæorum Caiphā interrogatus! & accusatus graviter per falsos testes taces! & hic apud Pontium Pilatū præsidem gentilem taces! Omnino credo, ut doceas & Iudæorum populum & paganos & omnem nationem silere in tempore propter Deum? Imo ut iniquas iras, fabulationes, mendacia, periuria, falsa testimonia omnia deleas apud patrem tuum pietissimo illo & humili silentio.

Ergo, mi Iesu, mi Domine, pone custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis, ut non declinet cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis, & non delinquam in lingua mea.

§. 153. *Et non respondit ei verbum, ita ut miraretur Pilatus. v. 24.*

Interrogationi præsidis: *Non audis quantum adversum te dicunt testimonia?* opponit humilem taciturnitatem & patientiam, Christus; ita ut miraretur Pilatus, comprehendere non valens illam insueram & tamen discretam & sapientem virtutem, secundum quam melius est tacere, quam inutiliter loqui sine fructu: & pari, quam inutiliter se defendere. Et hoc sane sensu, *patientia habet opus perfectum*, ut inquit Iacobus, nam calumniæ erant, satis manifestæ quæ subinde melius refelluntur silentio, quam multa actione. & bene noverat Christus Iudæos non acquiescuros, nisi eum occiderent per fas vel nefas. Cum igitur omnis Christi actio nostra sit instructio, voluit potius Dominus, præsidem iudicem suum, tacite suo exemplo docere, & sic in animo eius regnare tacendo, quam regno desistere loquendo. Voluit & nos instruere, certis in casibus, quæ immittuntur nobis sustinenda esse in patientia, utpote Dei vel ordinatione vel permisso eventientia.

AH! quis non ad humilitatem, & patientiam, & amorem accendatur, ubi advertit, quam humiliter Dominus Dominorum, qui iudicaturus est vivos & mortuos, coram vili astiterit homuncione & quidem condemnandus ab eodem, tantaque cum patientia omnem hanc accusatorum iniuriam, probra confusionemque perpeffus sit! Accendor quidem ad tur amorem mi Iesu, sed quid cum manus ad aratrum est ponenda? proh! perspicio retro, vix enim verbulum Dei amore ferre valeo, si quid adversi inferatur à proximis vel iram indignationemque concipio in pectore, vel etiam protestor & clamito iniuriam mihi factam, vel vindicare me conor nec per horam sed per dies, menses sæpe & annos integros per iræ insaniam misere me devasto: nec atteudo, quod Dominus majestatis quotidie tantam à me, &

alii